



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLII. Bajulatio Crucis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

odinasse. Hic me crucifigo, hic tibi me offero, ut in omni re fiat voluntas tua, non mea, nunc & semper in vita & in morte. Amen.

ÆRVMNA XLII.

Bajulatio Crucis.

I.



Domulgatâ sententiâ solliciti fuerunt Judæi, ut ^{Abstinerent} quàm primùm in executionem veniret, ne fortè Pila- ^{omnes à} tus eam expendendi spatium nactus, revocaret; ubi- ^{peccato, si} que patris sui diaboli genium exprimentes. Cùm ^{ejus foeditas} enim ille nôrit, quòd tanta sit foeditas peccati, ut omnes ab eo ab- ^{appareret.} stinerent, si illam agnoscerent, studet omni modo intellectum hominum oblinere aliquâ illecebrâ, ne agnoscant malum, quod parant. Ita Principes præcipitato per tumultum Præsidi in vota sua properaverunt, priusquam illum aut populum subiret pœnitentia facti. Sicut ergo crucem jam antè paraverant, & alia ad crucifigendum necessaria conduxerant, ita curaverunt eam afferri ad aedes Pilati, ut majoris ignominie causa imponeretur Domino gestanda ad locum supplicii: diligenter ordinantes custodias, & alia satagentes pro sua immanitate erga Dominum, qui sicut ovis ad occisionem ducebatur, & quasi Agnus coram tondente se obmutescens, non aperuit os suum.

II. Ut verò ad majorem confusionem agnosceretur ab ^{Vt viam} omnibus, voluerunt eum depositâ purpurâ in suis vestimentis in- ^{Crucis am-} cedere. Tunicam ergo inconsutilem, nec apertam anteriùs per ^{bulavimus,} caput induere debuit, utique non sine novo dolore, & sanguinis ^{Christus} emanatione à spinis. Voluit autem Dominus ipse suis in vesti- ^{præcessit} bus conspici cum cruce, ut, quod antea docuerat, si quis velit esse ^{nos.} suus discipulus, tollat crucem suam, & sequatur se, nemo se excusare possit per ignorantiam, quasi non videret eum cum cruce præcedere; cùm clarissima luce, prope meridiem, per publicas vias, omni populo spectante in sua veste omnes antecesserit, non erubescens publicè constare, quid habeat ipse in pretio. Solent multi longa serie memorare claros majores, officia publicè gesta, facinora edita; & in primis ostentare faciem deformatam vulneri-

bus acceptis pro patria vel Principe suo: quæ tanquam signa virtutis, pietatis ac fidei pluris æstimari solent, quàm decor naturæ magno studio conservatus. Christus Dominus noster, qui dixit se non agniturum pro suo, qui non magni faciat imitari se crucifixum, tantum æstimat crucem suam, ut nolit eam gestare sub aliena veste, quasi pudeat illius; sed in propria, ut omnibus publicè constet, quanto illam ducat honori, & quâ viâ tendendum sit aspirantibus ad veram gloriam.

*Infamem
Crucem
glorificat,*

III. Omnibus apparatis, Christus cum uno fune in collo, & altero einctus, quo teneretur à lictoribus, solutis manibus, prodixit ex ædibus Pilati, in medium cohortis utrinque constitutæ, ut viam facerent per multitudinem populi, & accessit ad ibi expectantem se crucem, quæ usque ad illum diem adeò fuerat infamis, ut nullus ingenuus, vel qui non infami crimine condemnatus fuisset, suspenderetur in illa, & maledictus haberetur, quisquis in ea penderet: sed in hac die Filius DEI vivi, Dominus ac Redemptor mundi consecraturus eam suis humeris & sanguine, cœpit eam ad æstimationem illam elevare, quam habet nunc in toto mundo, & in æternum est habitura in cælo, quæ deinceps erit solùm patria crucifixorum. Cùm ergo tanto desiderio teneretur Christus, ad signa vocandi electos, quorum nullus ad gloriam cælestem venturus erat, nisi per crucem, aspiciens illam tanta cum teneritudine animi; tanto gaudio cordis & exultatione complexus est, quanto potest, qui aliquid expectatissimum & charissimum adipiscitur: non territus est, quòd esset gravis, & magna, altitudine palmorum viginti, decem latitudine brachiorum, ut par esset ferendo ponderi corporis sine concussione: non causatus debilitatem exhaustarum virium tam copiosè fuso sanguine: sed amplexus ut sponsam dulcissimam, ut refugium suorum amicorum, ut trophæum gloriæ suæ, ut cynosuram suorum electorum, ut præconium infiniti sui amoris. Ibi copulati sunt, & facti res una, non jam ut Adam & Eva in una carne, unde nascuntur filii iræ; sed in uno spiritu, quo renovamur omnes in gratia. Ibi sanctificata, honorata, ac tanti æstimata est, ut licet sola mors eos dividerit, semper tamen maneat suorum tutela & refugium, eundem honorem, & cultum promerita, qui exhibetur ipsi filio Dei.

IV, Hoc

IV. Hoc amore, & hac æstimatione accepit Christus crucem in sanctissimos humeros, tanquam Dux & antesignanus crucifixorum. Et quia nec in terra, nec in cælo invenit personam majoris meriti ac dignitatis, & cui velut homo plus deberet, quàm sacratissimam Virginem Matrem; ideo primum ei locum dedit sub hoc vexillo: quæ sequebatur eum cum cruce dolorum graviore, quàm ullus unquam justorum portaverit ab initio mundi: ut sic intelligant omnes, quanto favore Dominus eos prosequatur, quibus dat locum, se cum cruce sequendi: quem qui non obtinet, videat, quàm procul absit ab his duobus luminibus cæli, & à perfecta sanctitate: & quàm sit cæcus, qui hoc non intelligit, neque desiderat. Hæc omnia merentur longam considerationem; quia sunt velut opulentissimæ venæ, è quibus eruantur multi thesauri veritatum cælestium, solatii, amoris, fortitudinis & constantiæ: & exponuntur palàm omnibus, ne quis destituatur his cælestibus bonis: forètque extra omnem rationem, iis non levare suam egestatem, quæ Christus comparavit tantis expensis.

V. Neque verò tantæ excellentiæ crucis imminuerunt Christo ignominiam ac laborem in illa ferenda. Nam ipse amorem suum non minùs ostendit in externa perpeffione, quàm in voluntate interna ac studio nos juvandi. Unde sacros humeros non tam peccatorum nostrorum, quàm ligni pondus premebat, & omnes insuper necessitates generis humani, obligationes gravissimæ ac plurimæ, omnia denique bona, quæ per sanguinem suum justis impetranda fuerunt: nam pro his omnibus laborabat & agebat cum Patre. Sic igitur onustus processit, præeunte præcone ac duobus latronibus, cum ipso crucifigendis: hos ponè sequebatur sua divina Majestas, cincta militibus, non omittentibus eum raptare, fune percutere, illis calcibus urgere, & aliis modis vexare. Claudebant agmen sacerdotes, Doctores, Pharisæi, ac Principes Judæorum, multa cum significatione lætitiæ, quòd tandem perduxissent ad finem optatum: & quod nulli alteri fiderent, non recesserunt ab eo, donec mortuum cernerent.

VI. Inter hæc Dominus excitabat omnes residuas vires, ut dulcissimum sibi pondus ad locum destinatum perferret: sed

non

Sub eius vexillo nemo militat, nisi crucifixus.

Magis eum prefferunt peccata nostra, quàm Crucem.

Qui Crucem à

Deo immis-
sant patien-
ter ferunt,

non sine maxima difficultate portabat, anhelabat, sudabat, non sine sanguine stillante ex aperta contentione denuo plagis: donec jam egressus urbe, ut aliqui volunt, debilitato stomacho per multas præcedentes ærumnas, vertiginem passus in terram cecidit: illis pro aliqua refocillatione simulatam debilitatem causantibus, & per probra ac verbera compellentibus eum crucem resumere. Quod cum serio toto suo spiritu collecto faceret, neque tamen progredi posset, metuentes Judæi, ne extingueretur antè, quàm suffigeretur in crucem, loco refocillationis conduxerunt redeuntem à villa Simonem Cyrenæum, ut crucem usque ad montem Calvariæ ferret, novis verberibus & contumeliis urgentes JESUM, ut pergeret. Tanguntur hîc invidiâ quidam devoti erga Simonem, cui datum est sublevare Dominum in cruce ferenda. Sed longè gratius illi erit, si suam quisque crucem ferat cum amore ac desiderio ipsum imitandi, quos præsignabat hîc Simon: cui si crucis non sponte gestatæ laborem magnis favoribus remuneratus est Christus, duos filios ejus, Alexandrum & Rufum assumendo in discipulos; quantâ gratiâ dignabitur eos, qui sponte crucem tulerint, cum patientia ipsum sequentes? Atque hoc auxilio factis citò ad montem pervenit Dominus, in quo non reficiendus, sed crucifigendus erat.

Deo gratio-
res sunt Si-
mone Cyra-
næo.

Luce 23.
v. 28.

VII. Non defuerunt piæ feminæ quæ partim commiseratione motæ, partim dolore, quòd privandæ essent Domini cælesti doctrinâ & miraculis, eum sequerentur cum lacrimis; quæ cum ad eum penetrâssent, ut aliquod acciperent ab eo documentum vel solatium securæ melioris fortunæ ac statûs, sua divina majestas ad illas conversa dixit: *Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*: indicans quanta mala sibi hac injusta & crudeli nece sua Judæi arcessant. *Quia ecce venient dies, in quibus dicent, Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos: & collibus, operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt; hoc est, in me, in quo nulla culpa est, sed flos omnis innocentia, virtutis & gratia, succus amoris ac sapientia infinita; fructus omnis meriti ac boni cælestis; in arido quid fiet?*

fiet? in quo nihil gratiæ, meritorum & boni est; à quo meis doctrinis, miraculis & exemplis alium fructum non retuli, quàm ut me tam crudeliter occidant, nullam sanguinis mei pro ipsis effusi utilitatem poscentes, sed vindictam supra se, ac filios suos? quæ certò superveniet. Atque hic inter majores dolores Domini fuit, quòd obversaretur ejus animo poena eorum, qui obstinati in peccatis, remedia sacratissimæ suæ passionis non curant. Ideo matronas istas voluit lacrimas potiùs impendere sibi metipsis, & filiis suis, ut fructu sui sanguinis potirentur. Ipse enim sentiebat magis nostra mala, quàm sua tormenta. Quis autem cogitasset, hominem in talibus ærumnis constitutum potuisse potiùs ullius alterius recordari, quàm suorum dolorum tam acerborum? Talis est Christus Dominus noster, ut non aliud magis habeat ob oculos, quàm procurationem nostræ salutis. Ita cùm populo plaudente, quasi triumphans, pergeret Jerosolymam, videns civitatem flevit super illam, ac deploravit ejus excidium, propter civium tacitatem, quia non agnoverunt tempus visitationis suæ, & gratiæ ipsis oblatae. Ita semper eramus in ejus corde, & nostræ necessitates rapiebant ejus cogitationes & amorem: atque ut sua majestas meliùs intelligebat nostra mala, quàm nos; ita etiam suos dolores reputabat exiguos in comparatione miseriarum nostrarum.

VIII. Postularet hic locus uberiores tractationem de cruce; sed exemplum Christi tam est illustre, ut per se, absque longo sermone, illuminet oculos animæ ad agnoscendam veritatem crucis. Unum hoc dico, maximum favorem, qui in hac vita præstari possit animabus, hunc esse, si cui Deus largiatur sapientiam & imitationem crucis, & semper teneat eum crucifixum, sine ulla remissione: quanquam id fatendum est, sine lumine speciali hanc veritatem cognosci non posse. Videamus Christum Dominum nostrum pro seipso elegisse hanc mortem; crucem gestasse suis humeris, inaudito exemplo; amplexum esse affectu tenerissimo; cadentem sub ejus pondere omnes vires collegisse ad eam portandam; consensisse ut imponeretur alteri, quo non nihil respiraret, ac durare posset, quoad extenderetur in illa. Videmus stiam suffixum in illa non descendisse, cùm posset; ac post mor-

poena peccatorum
Christo
maxima
poena fuit.

Imitatio
Crucis
summa sapientia.

Speciale donum Dei.

*Hereditas
nostra*

tem eam suis electis reliquisse pro hereditate. In illa Dominus noster habuit omnem victoriam: in illa nos habemus omnia bona. Video solos crucifixos, & qui magis ad vivum imitantur hoc exemplum, esse acceptiores divinæ majestati. Unde repeto, eum, qui non clarè videt hanc puram veritatem, quòd maxima gratiarum, quas homo consequi potest è manu DEI, sit, fieri dignum pati crucem & res adversas, & hoc sit majus bonum, quàm omnia, quæ habent justis & contemplativi; eum, inquam, esse valde cæcum, & instanter à Deo flagitare debere lumen ad agnoscendam hanc veritatem: quam ubi acceperit, studeat esse gratus, & æstimet pro maximo thesauro; amplectens crucem ac tribulationem pro certissimo pignore cælestium & æternorum bonorum,

*pignus cæ-
lestis gloria.*

E X E R C I T I V M

Ad Christi Crucem.

I.

*Cruc sem-
per fuit
Christo in
desiderio,*

PRodi, mi bone Jesu, Rex meus, Dux meus, & amor animæ! prodi, quia jam adest lignea crux, quam desiderasti tam diu. consecra eam, & sanctifica, ut sit socia & gloria omnium electorum. Conjicit in eam Dominus oculos & amorem, ad primum ejus conspectum, & absque sono verborum sic alloquitur: O amica mea dulcis, & à me desiderata, dum vivo! Tu es mea sponsa formosa, pro qua servivi, & quam expectavi supra triginta tres annos. Tu es Thesauraria mearum divitiarum, triumphus mearum victoriarum, Gloria & corona mei amoris. Hodie copulabimur desponsatione perpetua, in amore perfectissimo. Qui tibi servit, mihi servit: qui te spernit, me spernit. Tu deinceps eris honor meorum: & qui te gloriabitur, erit in honore: quem tui puduerit, erit inglorius. Hodie me recipies in brachia tua: hodie te proluam sanguine meo: hodie fies mater, & refugium omnium gentium. Per me tu semper honorata eris; & ego per te cognoscar ab omnibus: qui tibi servire noluerit, eum ego nec aspiciam, neque fovebo. Hic te amplector, amica mea, desiderata mea, & perpetua mea socia. Veni supra humeros meos; eamus simul ad locum mortis: faciamus ex eo locum vitæ: regnemus, vincamus, honoremus nos mutuò. Cesset hodie ignomi-

nia

nra tua, & incipiamus hodie triumphare in gloria: sola mors à te separabit meum corpus: at nulla res amorem: simul regnabimus, ac semper vivemus. Tu eris tutrix, & protectio filiorum, quos hodie colligemus ex omnibus partibus mundi. Coram te tremet infernus: tecum exhilarabitur paradifus. Accipe hæc brachia, hoc corpus, & hunc amorem. Qui me desiderabit & me quæret, is te pro duce accipiat, & comite; & quidquid volet, à me obtinebit per te.

E X E R C I T I U M

Hominis ad Crucem.

II.

Adoro te signum salutis, pretium Gloriæ, consecratum brachiis & sanguine Domini mei Jesu Christi! Adoro te vexillum præliorum illius, Dux electorum ejus, triumphus victoriarum, protectio ac defensio servorum ejus, signum, quo agnoscuntur ejus filii! Adoro te recondita sapientia, lux mundi non cognita, honor te sequentium, securitas te gestantium, Corona te complectentium, præmium te amantium, salus tibi se committentium! Qui in te moritur, vivit: qui vivit in te, regnat: qui te amat, est contentus: qui te desiderat, securus: qui te amplectitur, dives. Adoro te, arbor vitæ, in qua fructus invenitur, quo vivimus omnes, filius Dei vivi! Adoro te, libra æquissima, ad nullam partem propendens, in qua sola cognoscitur justus valor, & verum pretium omnium rerum! qui à te pretium habet, æstimatur à Deo; qui non habet, vilipenditur à suâ divinâ majestâte.

III. Adoro te, vera & propria figura divini amoris, qui in te ardet ac splendet. Quia tua altitudo penetrat cælum: statura tua recta, segura, & justa est, ac separata ab omnibus rebus terrenis. Pes tuus penetrat centrum omnium rerum, intima cordis, & pertingit usque ad infernum. Brachia tua nunquam retrahuntur, sed extenduntur ad omnes partes mundi: facies tua non corrugatur unquam, neminem fugit, nulli absconditur, nullum spernit, nec fugat à se, sed omnes colligit, umbrâ suâ omnes protegit: omnibus est semper aperta, prompta, parata. Nullam rem times, nullâ terreris; nec aliud petis, quàm corda. Tuus titulus

000 z

& cor

& corona est titulus regni & gloriæ: semper flagras ejus amore, qui sanctificatur in te; & semper hunc ignem impertis omnibus, qui te amant, quærunt, desiderant. In te sita est salus, & vita: in te confusio inimicorum: in te communicatio suavitatis supernæ: in te fortitudo cordis, lætitia spiritûs, summa virtus & perfectio sanctitatis: in te salus animæ, in te certa & secunda spes gloriæ. Tu ducis errantes, illuminas cæcos animo: tu doces ignaros, & efficis sapientes: per te in gratiam recipiuntur peccatores. In te sapientia mundi fit stulta, & confunditur: in te humiliatur superbia, coronatur humilitas. Tu confirmasti Apostolos, consecrasti Martyres, dedisti victoriam Virginibus, sanctificasti omnes justos. Tu exhilaras Angelos, sustentas & auges Ecclesiam, implem cælum. Tu in die Judicii venies ante Jesum Christum, in gloriam ejus amicorum, & perpetuam confusionem inimicorum.

*In ea mori
vivere est,*

IV. Hic offero me tibi, ô sancta crux! hic te complector, hic te cum Domino meo Jesu Christo accipio pro meo perpetuo refugio, pro luce mea, sapientiâ meâ, duce mea, & securo portu exilii mei. Non me dimittas unquam, nec repellas à te; licet caro sit infirma, tibi se opponat, te metuat, tenuat te portare, & fugere velit: sentiat illa sanè, quod fert ejus natura: sed tu me non dimittas unquam. Dolores tui sint mea salus: vita mea sit mori in te: non sit hora, nec momentum, quo tui sim expertus. O mi bone Jesu! affige me tecum in hac cruce: confige in ea timore tuo carnem meam, crucis amore transfige cor meum. Illumina oculos meos divinâ luce tuâ, ut videam semper, & intelligam veritates sapientiæ crucis.

*Extra il-
lam nulla
felicitas,
omnia cru-
ciant.*

V. O signum salutis, pretium gloriæ, Dux errantium: quos fructus collegi, quid quæsi, quando te fugi? Etsi te fugiam, non tamen ærumnas effugio: quia dego in terra plena dolorum & miseriarum. Imò incido in multos alios, qui me opprimunt, dejiciunt, destruunt, contristant, inquietant, occidunt: quia si te fugiam, ut serviam mundo, mundus adimit mihi pacem internam, consolationem securam, sapientiam cælestem; spoliat me omnibus bonis, me discerpit, & raptat post se. Si te fugiam, ut sequar carnem, jactor in perpetuo mari perturbationum. Si
per

per amorem proprium, & vanitatem te desefam, maneo semper famelicus & malè contentus: interea modò sanitate destituor, modò honore, modò amicis, modò sinceritate & fide: nunquam evenit, quod desidero: si quando veniat, mox evanescit. Spes sunt inanes, vita sine fundamento, mors plena timoris ac tormentorum: quia sunt multa, quæ contaminant animam & conscientiam, multa fastidia, nullum verum solatium; nec aliud resultat ex omnibus, quàm lacrimæ, dolor sine consolatione, ac demum interitus corporis & animæ. O sanctissima Crux! talis hactenus fui, quia te fugi, & quia te non ex toto corde & cum amore complexus sum.

VI. Sed tu, sanctissima Crux, semper paras coronam æternæ gloriæ his, quos tenes in mundo afflictos, moestos, abjectos, atque desertos. Pacificas cor, mundas conscientiam, justificas animam, ditas spiritum, corroboras infirmitatem, assecuras spem, illuminas fidem, inflamas Charitatem: & qui per te videntur magis dejecti & eversti, per te eriguntur, exaltantur, ditantur, glorificantur. Cùm tollis bona terrena, das cælestia: cùm adimis amicos, implet amore divino; cùm auferes honores, facis Filios DEI: cùm pudefacis, das coronam gloriæ: cùm derelinquis interiùs, amplecteris occultâ virtute divinâ; cùm exteriùs, conjungis animam Deo. Liberos facis, quos capis: solvis à culpis, quos oneras ferro: ditas opibus cælestibus, quibus adimis fortunas: & quando videris asperior, meliùs habet ille, qui te diligit. O qui nunquam separatus esset à te! ô qui nôset tua secreta! ô qui caperet veritates tuas arcanas!

VII. Tu in mundo tenes Filios DEI ignotos, proscriptos, abjectos & exosos, plenos lacrimis, & inopiâ, sine favore ac gratia, sub omnium pedibus; non intelliguntur, horrentur, virantur; quibus es durior, eos plus amas, & facis interiùs contentos, vividos, opulentos ac sapientes: dum eos non deseris, vivunt; moriuntur, cùm ab eis recedis: ardent amore tui; abhorrent ab omnibus, quæ amat mundus; & in cælo habent cor suum. O quàm sunt divites! ô quàm contenti! ô quàm læti quàm divini, imò deificati per te & in te! desiderant omnia relinquere, & esse cum Christo.

sto. Omnia terrena sunt eis gravia & molesta: solum pati in te amplecti te, ardere tuo igne, est id, quod eis placet ac solatio est. Et tu fidelissima amica, & vera socia, venies cum illis in die iudicii, ut illos honores, defendas, consoleras, coronas, glorifices, & confundas illorum persecutores & contraditores. O lux paradisi, & securus portus afflictorum! accipe me in tuam societatem, ut per te exalter & uniar illi, qui pro me fuit suffixus in te.

O Mater DEI, fidelissima Socia crucis Domini nostri, & per eam abundans bonis caelestibus! per tuam intercessionem, crux ejus non recedat à mea domo, neque lux ab anima mea se abscondat. O Curia caelestis, unita & coronata virtute, quae nascitur à cruce, merear vestris precibus esse in numero crucifixorum, ut etiam sim in numero glorificatorum. Amen.

E X E R C I T I U M

Ad Christum cum Cruce in humeris.

I.

*Amor Iesu
omnia praesertim,* O Domine, & bonum animae meae, estne possibile, ut non recuses accipere in humeros crucem tam gravem, praesertim corpore tam exhausto per tot effusiones sanguinis, ac debilitato tormentis, quae pertulisti, ut sis unica viva plaga? scis tibi non suppetere vires ad onus tantum portandum; & nihilominus ei te submittis? ô Deus amoris! amor tuus putat se posse omnia, & nihil ei videtur impossibile. Renovantur clamores, ac tumultus populi contra te, verbera carnificum, rabies Pharisaeorum urgentium tuam necem, & injuriosa verba jactantium; & tu de novo te conjicis in manus eorum, ô divine agnelle! deficientibus viribus corporis, ruptis iterum vulneribus, sudore mixto cum sanguine, totus convulneratus, quassatus: ut videaris in silentio renovare amorem, obedientiam ac desiderium patiendi pro me. O benedicant, glorificent, adorent, & ament te omnes creaturae! In ista cruce, ô mi Redemptor! portas peccata totius mundi, & illa te sic premunt, gravantque.

*Cruce via
satis aperuit*

II. O Domine animae meae! tu pedibus incedis per terram, sed cor tuum penetrat caelum, rumpendo pectus Patris aeterni vocibus

bus internis pro miseris peccatoribus, promerendo eis misericordiam, & cruce aperiendo viam in cælum, hactenus mundo incognitam. Hic tacendo fortiter clamas, & vocas omnes, ut te sequantur, quia in te invenient omne bonum, & requiem. Hic ducis tecum primam, præcipuam ac fidelissimam sociam & amatricem cum gravissimâ cruce suâ, Matrem dico tuam sanctissimam, ac Dominam nostram. Hic factus Dux ac signifer justorum, bellum indicis carni, mundo, diabolo, & peccatis. Hic aperis omnia arcana tui amoris, & confirmas præconium, quod fecisti; eum, qui non tollit crucem suam, & sequitur te, non esse te dignum, neque partem tecum habere. Hic incedis in propria veste, dimissâ albâ Herodis, & purpurâ Pilati, ut omnes te agnoscant, ac sciant te esse, atque te solam crucem magni facere. Hic tollis omnes excusationes blandimentorum carnis, ac vanitatis mundanæ. Hic sanctificas lacrimas, persecutiones, injurias, & omnes ærumnas. Hic illuminas mentes, accendis voluntates, & incitas animos ad tuam imitationem. Hic detegis fallacias mundi, abrogas ejus leges, explicas tuam doctrinam, confirmas tuas veritates, rapiens & obligans omnium corda, ut se tibi associent, & amplectantur crucem omnes afflicti, ac deserti, qui amore tui vexantur. Et ne quis putet, posteaquam fueris affixus cruci, ut non possis conjungere brachia, ibi defore tibi amorem ad colligendos omnes; nunc antequam ascendas in crucem, amplecteris cum ea omnes tanquam filios dilectos, pro quibus moreris, peccatores, justos, afflictos, & quicumque desiderabunt tuum amorem ac societatem.

III. O JESU, Rex, Dux, & amor animæ meæ, spes mea, custodia mea, summa Veritas, vera vita mea, certa mea sapientia, clara lux, & omne bonum meum! Ne relinquas hunc indignum servum tuum extra hanc societatem, ubi tu & sanctissima Virgo, duæ columnæ cæli, duo purissimi Spiritus, & acceptissimi Patri æterno, simul inceditis in crucis amplexu. Quid me fiet, si foris relinquar? quod iter securum ingrediar? sic separer à tua cruce? duc me tecum, Domine: imò trahe me, ne unquam subducas te oculis meis, neq; crucem tuam. Cupio te sequi & imitari: tecum, ô mi Jesu, volo crucifigi, malo tecum pati crucem, quàm sine te innatare deliciis mundi.

B. Virgo fide
socio pa-
tienti filio
extitit.

Omnes illi
si Cruces
habuerunt.

mundi. En hîc meum corpus, meos pedes, manus, & caput & omnia membra. En hîc animam meam: en me totum offero in manus tuas: fac me socium tuum, plenum crucibus ac dolorib9. Non permittas, ô mi Jesu! ut aliud sentiam vel intelligam: non permittas, ut unquam excutiam, aut refugiam ærumnas crucis, quantumlibet onerosæ, duræ & asperæ. Tecum Salvator animæ meæ, malo esse in afflictione, derelictione, ignominiâ, persecutione, quàm in blanditiis mundi. Ab initio semper cruces, & ærumnas habuerunt electi tui; & qui te magis amant, magis torquentur, & tecum crucifiguntur. Et ego miser fugiendo crucem, & signa tua, quomodo poterò tibi placere, & esse in numero tuorum?

*Parum est,
quidquid
patiamur
pro amanti-
bus.*

IV. O Fili DEI vivi! si te amavissem toto corde, & serviissem tibi in multis laboribus, per aliquot millia annorum, cum hâc spe, quòd aliquando ad unicam horam esses venturus in meam societatem, ut modicum quid patereris pro me, nonne valde parum esset, quidquid passus essem pro obtinendo isto favore? Nunc ergo, Deus meus, ac Dominus meus, cum te video oneratum ærumnis ac doloribus, plenum afflictione, cum cruce in humeris, factum meum antesignanum ac ducem, invitare me ad sequendum te cum longè minoribus ærumnis, quomodo non accendor desiderio patiendi pro te? quomodo videtur mihi aliquid grave? quomodo non habeo pro perditâ horam, quâ sine cruce sum, & afflictione propter te? caro mea flaccida dolet, ac gemit sub cruce; vult fugere, & tanquam perversa abhorret ab eâ: sed spiritus, mi JESU, quem nunc promereris mihi, potest facere mirabilia in hâc miserabili terrâ, & hanc infirmitatem convertere in gaudium, multas tecum cruces ferendi. Quando, ô afflicte Jesu! videbo me, tecum afflictum? Quando ô vere amice hujus pauperis animæ! videbo me talem pro te, qualem te video pro me? quando nam erit hâc unica mea consolatio, ferre multas cruces ac tribulationes post te, & non fatigari?

*DEO ob-
viores sunt
quos.*

V. O unica salus miseriarum mearum, sive hoc sapiat carni meæ debili, sive non: tu scis, quantò securior, quantò tibi conjunctior, quantò sapientior, quantò verior tuus discipulus, & major amicus tuus sim, quando crux me gravat, quàm quan-
dome

do me deserit. Ergò Domine, faciat caro, quod suum est, quantum volet; tu verò, qui scis, quid mihi expediat, ne dispensa cum illa; sed afflige, ac tribula me tecum; dummodo me adjuves & confortes infirmitatem meam, ut possim ferre cruces, quas imposueris mihi; neque permittas, ut aliud velim. Tu, Domine, sapientissime cognitor meorum errorum, scis optimè, quòd erem, quando non incedo hac viâ. Malum videtur mihi bonum, vanitates pro veritatibus habeo, opera naturæ judico esse gratiæ; probo, quæ debueram damnare; magni duco, quæ vili pendere; maximam habeo rationem meæ personæ, magnum momentum colloco in honore: cor habeo sparsum, distractum, divisum à te, occupatum in rebus mundanis & mecum ipso; & quod cum lacrimis infinitis dicendum esset, habeo id semper procul à te, quæ es unicum & immensum bonum meum, neque id sentio: offendo te, Deus meus, & non curo. Erubescio sciri, quis sim, & abscondo, ut videar esse de tuis; cum sim inimicus crucifixæ tuæ societati.

VI. Quid dicam, Deus animæ meæ? abjicio me ad pedes tuos. Tu nôsti, qualis sim, & vides miserias hujus cordis, quando caro mea sine freno est tribulationis & crucis. Quod ego tunc facio, est id, quod te constituit nunc in hoc statu, pro quo nunc luis, quod te premit ac perimit. Ergo, vita & omne bonum animæ meæ, quomodo possum vivere placidè cum eo, quo vita tibi adimitur? ô fac me, Domine, mori hac horâ, ne offendam te amplius, vel mihi tuam crucem impone: quia ad id ferendum, quod ego non possum, tu potentissime ac fidelissime adjutor, dabis mihi vires ac spiritum. Tu illuminabis meum intellectum, inflammabis cor tuo amore, & facies in me mutationem, & solita tua miracula. En renuncio omni solatio vitæ, & opto, ut si sit pro gloria tua, omnia mihi vertantur in cruces. Amici, socii, cognati, conversationes, & omnia, quibus hactenus fui delectatus, mihi vertantur in cruces; ut habeam te solum pro amico, socio & unico consolatore. O quàm felix ero, cum eò pervenero! quàm dives si te solum habeam socium! tunc verè dicere poterò, quòd sis unicus amor meus, unica lætitia mea, unicus Pater meus:

tunc eris mihi unica felicitas, quando me deseruerint omnia in mundo, meque crucifixerint, & ego toto corde omnibus renuntiavero, ac tu me solus receperis.

*Summum
bonorum
præmium
est pntis,*

VII. Vita animæ meæ, quò vadis? quomodo me non audis, cum clamans te sequar? éstne possibile, JESU MI! ut venias ad montem Calvariæ sine me? da mihi hanc crucem prius, quàm eò pervenias: quia magis habebis pro principe latronum inter tres, quàm inter duos tantum: salvabis duos; & si me nolent occidere, semper manebo in cruce. O amor, ô amor animæ meæ! occide me hac horâ igne tuæ Charitatis; ut me purget, si vitam ducere debeam, quæ non tota consumatur patiendo pro te. Imprime, Domine, animæ meæ magnam hanc veritatem, quam protulit quidam crucifixus tuo amore; si pro fideli servitio trecentorum annorum, sibi gratiam facere velles unâ horâ patiendi pro te, omni merito suo majorem futurum istum favorem. O arcana, ô certa veritas! sed ego, Domine, qui nihil mereor, supplico immensæ Bonitati tuæ, ut facias mihi hanc gratiam, ne ulla hora totius vitæ meæ sit absque cruce pro tuo amore: quia certò scio hoc esse, quod maximè tibi placet, mihi maximè convenit, & maximè adversatur perversæ meæ naturæ: tu verò vires ad hoc necessarias, tanquam liberalissimus distributor bonorum tuorum, eis haud negas, quos amore tui crucifigis. Ama me, Domine, & crucifige me.

*Quo cogi-
to, dulce est
crucem fer-
re.*

VIII. O felix Cyrenæ! qui acceptâ mercede obtinuisti, quod ego lacrimis impetrare non possum, ut portem hanc crucem, & sublevem nonnihil hunc divinum agnellum in tanto suo labore: quamvis enim per hoc ei mors acceleretur, ea tamen est, quam ejus amor desiderat. Tu id non intelligens eum sequeris cum cruce; at si novisses hunc Dominum, & quid portes, id non dimitteres, sed tu affigereris, & JESUS viveret. An fortasse non invenisti, Domine, amicum, qui ex compassione portaret hanc crucem? O fili DEI vivi, ô fidelissime amator animarum, ô thesaure omnis beatitudinis! tibi soli convenit gestare crucem gratiæ, quia quidquid in eâ mereris, tuis mereris; nec aliud præmium exigis, quàm utilitatem nostram: omnes alii, qui tibi serviunt, tibi sunt obligati: nam licet ipsi crucem non portent, ipsis tamen

tamen à te promissum est meriti tui præmium. Quamquam non omnino crucis est expers, qui cupit in omnibus tuam facere voluntatem: quo quid melius habere potest in cælo, & in terrâ, *ô Christus omnes voluit per ierendo præcedere,* *ô Deus amoris, ô Amor Dei!* quàm felices, quàm opulenti sunt, qui te cum cruce suâ sequuntur? Cyrenæo non datum est antecedere te, sed sequi: quia tu Dominus ac Deus meus non vis, ut te ullus præcedat, sed ut crucifixi videntes te præcedere, illuminentur, animentur, inflammentur. Et qui te semper ante se videt, *ô lux paradisi, quid videt? quid amat? quid accipit? quo gaudet?* tace, tace, lingua; & tu cor obmutesce. Loquere tu, Domine, ut audiat te servus tuus. Dic tu cordi meo, quid videat, ac sentiat, qui te semper habet ante se, quid portet. Amorem portat, ac portatur amore: ad quid fertur, & quâ? amore, & ad amandum. Amem te, Deus meus, ac totus amore tui consumar! Accende me, ama me, & transfer me in te, *ô mi amor divine!*

O Mater Dei, plena crucis & amoris! sine te non voluit divinus Agnellus ferre crucem, ut exhiberet amorem tibi debitum. *Et Matrem sibi proximam esse.* Impetra tu mihi, Domina, per merita tua, ne sim extra vestram societatem, ut in me ostendam id, quod ardens ejus amor meretur. O Angeli, *ô cives cælestes, lapides vivi per crucem expoliti ad hanc fabricam cælestem, laudate pro me Dominum; & quia me creavit, ut sim in vestrâ societate, facite ut per suam crucem, & cum illâ sic ducar, ut sim, quales vos estis in oculis ejus. Amen.*

ÆRVMNA XLIII. Crucifixio.

I.

 T ventum est in montem Calvaria, ubi supremam sui amoris demonstrationem inter maximos dolores facturus erat Dominus, nihil ei temporis permiserunt ad respirandum, sed omnia certatim *Omnia accipienda, velut à Deo irmissa.* egerunt, ut affigeretur cruci. Solutis ergo vinculis, inclementer exuerunt eum vestibus jam agglutinatis corpori, renovando vulnera, præsertim capitis, atque dolores immanes. Ille obediit ipsis promptè in omnibus, magnâ mansuetudine & obedientiâ,